

37 *22*
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO
DN. FRIDERICO AVGVSTO
ELECT. SAX. HEREDE
DISSERTATIONEM SOLENNEM

DE
**VI OPII
RAREFACIENTE,**

A qua, ostenditur, omnia illius effecta
in homine profici, *1703*
PRAESIDIO

D. IO. GOTHOFREDI BERGERI
POTENTISS. POLON. REGIS ET ELECTORIS SAX. ARCHIA-
TRI, COLLEG. MEDICI SENIORIS ET PROF. PRIMARII

PRO LICENTIA
ADSPIRANDI AD SUMMOS IN ARTE
SALVTARI HONORES

P. P.
CHRISTOPHORVS FIMMLERV
SCHMIEDEBERGA-SILESIUS
A.D. X. IVL. c^o 13 cc III.
IN AUDITORIO MAIORI
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS.

VITEMBERGAE, Prelo GERDESIANO.

RECTORIS MARENICENSIS
DN FRIEDERICI AVASTO
DISSEMINATIONEM SOLEMNITER
DE
VI OPII
ETIAGENI
DIOCESONTHI PERGENT
CHRISTOPHORUS LIMMIKRAZ



DE
VI OPII
RAREFACIENTE
DISSERTATIO
SOLENNIS

L



I quotquot de valetudine hominum
instauranda bene mereri volue-
runt, tantum adhibuissent diligen-
tiae ad explorandas remediiorum
simplicium, quorum tam multa
Conditoris sapientia dedit, tamque
varia arte mirabili et consilio, ad
variorum sanationes morborum, distribuit, vires et
operationes, quantum operae posuerunt in artificiosis
eorundem praeparationibus et compositionibus, qua-

A 2 rum

rum plerasque ignoratio naturae, cum morborum, tum
remediorum, ac saepe inanis curiositas, vel potius ostentatio
et pompa, nec raro fallacia experimenta et fabulae
pepererunt: dubium non esset, quin ampliorem
medicinae perciperemus fructum, plusque scientiae et certitudinis
in eadem haberemus. Verum, nescio quo fa-
to, ab aliquot inde seculis magno artis detimento mos
inveteravit, ut, priusquam de singulorum remediorum
viribus satis constet, multa eorum adhuc inexplorata,
nec simplicia tantum simplicibus, sed etiam composita
compositis, quibus tota saepe Asia atque Europa
comprehenditur, accumulentur, nec quicquam fere hodie
admittatur, nisi quod spagirica arte confectum, et cum
pluribus aliis fuerit commixtum. Quo fieri omnino
debuit, ut in magna medicamentorum copia et ubertate
comprobatorum vere remediorum maxima inopia la-
boremus, eamque partem, quae de medicinis avthenticis
et positivis tractat, inter desiderata medicinae hodie-
que reponamus cum *Verulamio L. IV. de Augm. Scient. c. ii.*
Quod si qui de viribus simplicium solicii fuere, non mul-
tum tamen exinde perceperere utilitatis, dum vel Peripa-
teritae, vel alterius sectae opinionibus occupati, sua
quisque commenta effectis et operationibus medica-
mentorum accommodarunt. Ego vero quemadmo-
dum libenter cum illis sentio, qui omnia rerum corpo-
rearum eventa secundum legum mechanicarum nor-
mam peragi, et sine iis nihil omnino in universa scientia
naturali sciri, existimant: ita nec aliunde operationes
medicamentorum deducendas esse puto, quam a mechani-
ca eorum et nostrorum corporum in se ultiro citroque
actione, quam si recte reputemus, facile patebit, de com-
plurium

plurium remediorum viribus longe aliter sentiendum esse, quam vulgo solemus. Cui rei inter multa unus papaveris succus, qui ex oriente ad nos advehitur, et opium nuncupatur, documento esse potest. Hic enim utut efficacia sua, qua mole minima somnum aequem ac sudorem movet, fluxionesque ceteras, non minus quam dolorum stimulos temperat et cohibet, pluraque alia in nobis praefat, medicamenta cetera longissime superet, ob eamque causam creberrime adhibetur; tamen nondum cognitus ita et exploratus est, ut quo modo, et quali partium humani corporis affectione tot tantasque operationes perficiat, in proclivi sit expōnere. Quemadmodum tot discrepantes de iisdem sententiae, quibus nihilominus in curationibus morborum infistere multi solent, abunde testantur. Namque videas, eas alios a frigore, alios a calore, alios a sulphure, vel oleo, humores coagulante, et spiritus, quos vocant, animales ligante, obnubilante, suffocante, consternante, vel profligante, aut nigrore suo inumbrante et opacante, alios aliunde repere, et tot fere de iis esse opinones, quot medici de opio scripserunt, idque adeo varie a variis, cum igne, tum liquoribus solventibus, aqueis, sulphureis, acidis, salinis volatilibus, et lixiviis, praeparari et corrigi, et modo insipidis ac temperantibus, modo aromaticis et excitantibus, calefacentibus, et refrigerantibus misceri, neque ab omnibus in tanta naturarum et morborum varietate, prout conveniebat, sed pro varia cuiuslibet opinione, varie adhiberi. Id quod hoc quidem magis dolendum, quo certius est, nullum saepe majus ab alio remedio auxilium, neque periculum in ullo remedio majus esse. Quare operam non

A 3

per-

perdidero, si de admirabilibus succi hujus dotibus nonnulla tradam, non eo quidem tantum, quod inest eius rei considerationi libera quaedam animi oblectatio, cum manifestum nobis ac luculentum divinae providentiae exemplum, plenum artis et consilii, suppeditet, sed quia incredibilem praeterea utilitatis fructum medentibus promittit, quo tanta efficacie remedium infinitae causum varietati tuto applicari, et, quod caput rei est, arte et consilio curationes morborum mutari possint, quod alioquin aut temere fiet, aut non nisi casui et fortunae debet.

II.

Ne vero in ipso limine plus molestiarum habeat dissertatione, missas faciam inutiles aliorum disceptationes, rectoque ordine, quem ipsa rerum natura in rerum naturalium cognitione nobis praeivit, primum ea, quae ministerio sensuum de opio possunt cognosci, atque ab Astronomis accepto vocabulo τὰ φανῶνεα vocari solent, in medium proferam; deinde qualem illud in nobis mutationem, unde omnes eius vires effectaque pendeant, praestare poscit, investigabo, et quam postim clarissime omnia brevisimeque, complectar. Ac primo quidem ipsius testimonio sensus constat, id quod post *Dioscoridem*, *Mattioli*, *Bellonius*, aliique memoriae prodiderunt, opium gustu amarum, acre et calidum esse, et aliquandiu ore detentum, linguam et palatum urere ac inflammare, odore vero gravi et virolo caput tentare et opplere, ita ut eo interdum solo sopiti conciderint, qui id incautius colligerent, teste *Plutarcho in sympos.* Nec vero minus exploratum est; idem opportune et moderata quantitate ore assumtum, non solum calorem atque exspirationem universi

universi corporis augere, et sudorem ac urinam ciere, humorumque tenuium acrimoniam et impetum auferre, ac molestum quandam pruritum cutis cum siccitate oris, sitique, relinquere, sed etiam facile cerebrum perturbare, et generosorum more liquorum, temulentiam, ac somnum et insomnia parere, unaque dolores, et fluxiones alvi, ac partium aliarum, et convulsivas corporis commotiones temperare ac sistere; quantitate autem paulo largiore, vel intempestive haustum, aestum corporis atque anxietatem vehementem, et ruborem ac tumorem faciei, in primisque oculorum, inducere, aliquando etiam rationis usum perdere, atque ad insaniam et furorem adigere, plerumque vero soporem et sudorem copiosum, eumque non raro odoratum, et ipsam opii graveolentiam spirantem, excitare, et spiritum contrahere, ac pulsus cordis et arteriarum debilem et inaequalem, ac demum stupiditatem, paralysin, apoplexiā, frigus extreborum, et madorem ac spiritum extreum frigidum, mortemque gelidam inferre.

III.

Compertum tamen est, multos, ac praesertim Turcas, et Arabum atque Indorum maximam partem, qui Mahumetis dogmata sequuntur, et opio vini loco utuntur, usui eius ita paulatim assuefieri, ut idem liberalius, atque ad unius et plurium drachmarum pondus, tuto capiant, nec quicquam inde incommodi sentiant, praeterquam quod aliquantum ebrii et temulentī fiant, eoque promtiores ad obeunda munera, maximeque ad bellum, et venerem, se reddi, opinentur, nec usū eius quotidiano sine gravissimis incommodis, ipsiusque periculo vitae, carere possint. Quod de Aegyptiis quidem

dem testatur *Prosp. Alpinus L. IV. de Med. Aegypt. c. 1.* quo etiam loco non paucos ea servitute liberatos, scribit, si eadem hora, qua soliti sunt opium capere, largius ex vino Cretico, pipere atque aliis aromatibus alterato, potent. Atque hos quidem omnes, idem refert, et si affirment, eo usu recte se valere, minimeque laedi, tamen frigidos valde fieri, et ebrios, torpidos, ac veternosos, peneque stupidos fere perpetuo apparere, atque apud omnes inconstantes haberi, ita ut ab eorum commerciis omnes sibi caveant. Eadem de Mauritanis, et Africanis, Asiaisque populis confirmant *Garcias ab Horto*, qui quendam Corasonem opium ad drachmas decem quotidie sumissse scribit, *L. I. Histor. Arom. c. 4.* et *Christoph. a Costa, L. Aromat. c. 2.* Ac de Turcis et Persis *Petr. Bellonius* annotavit *L. III. Obs. c. 15.* usum opii tam vulgatum apud ipsos esse, ut sibi mutuo reprobrare soleant: Tu edisti opium; quemadmodum si quis apud alias nationes alteri obiciat, ipsum temulentum esse. Hic periculum facere volens, quantum quis opii devorare sine noxa posset, praetorianum militem, ipsi familiarem, et singulis diebus opio vesci solitum, ejus drachmae semiuum devorasse vidit, eidemque poltridie integrum opii drachmam dari curavit, quam unico bolo devoravit, nec quicquam inde incommodi sensit, praeterquam quod temulentus quodammodo videretur. Diu deinde *Bellonius* usus est contubernio Armenii cuiusdam Christiani, opium saepius devorantis, ipseque, eo degustato, nullam indenoxiam deprehendit, nisi quod pectus excalefaceret, cerebrum non nihil perturbaret, somniaque turbulentae efficeret. Quibus omnino addendum, quod cum in se ipso, tum etiam in aliis, bona valetudine utentibus, annotavit

Moses

Moses Charas Pharm. Reg. Chym. c. LI. et Nov. Exper. circ. vi-
per. c. XIV. a pluribus extracti opii granis, in aliis somnum
svavissimum et tranquillitatis plenum, comitibus in-
somniis gratissimis animadversum, in aliis non quidem
somnum, at vero insignem tranquillitatem et commo-
derationem omnium motuum interiorum observatam
fuisse: in singulis vero annotatam pruriginem toto cor-
pore molestam, et singularem omnium membrorum
corroborationem; nonnullos etiam conquestos de ten-
tigine insolita. Neque praetermittendum, id quod ha-
bet *Nic. LeMery Curs. chym. p. 593.* multos in Galliis usui
opii ita assuetos, ut nullum iis somnum conciliaverit,
nisi tripla, vel quadrupla dosi idem assumferint. Quos-
dam enim illud ad drachmam assumfisse, nec magis inde
dormivisse, quam alii ab assumptis saltem granis eius duo-
bus. Novimus ipsi ducem legionarium, qui adsuetus
opio crudo, eius scrupulum quotidie sumere cogitur, si
tutus a doloribus nocturnis capit, a morbo venereo re-
lictis, vivere velit.

IV.

Forinsecus opium, parti cuidam corporis accom-
modatum, vi gaudet insigni discutiendi, tantum abest, ut,
quod falso quibusdam persvasum est, stupidam eandem
reddat, sensuque privet. Nam saepe solutionem eius,
spiritu vini factam, vulneribus, ulceribusque, sero tenui
manantibus, cum turunda inditam novimus, nec aliud
inde evenisse, quam exsiccata loca manantia, et probum
pus genitum fuisse, observavimus. Felibus ad semi-
scrupulum et amplius propinatum opium, paulo post in-
signem anxietatem et palpitationem cordis peperit,
moxque temulenta et vertiginosa animantia reddidit, ut

B

more

more vacillantium ex vino, et ebriorum, aut rabiosorum, ore hiante, et exsiccato, spumaque repleto, cum eiulatu huc illuc crebro profilarent, dum aestu humorum et agitatione veluti febrili toto corpore, ac ventre praeferim inferiore, quodammodo inflata, et lassata, caput pondere nutans sustinere minus possent, sed idem iam in praeceps agerent, iam in alterum latus verterent, tandemque sopore oppressa, convulsaque, expirarent. Quaedam etiam multa viscida et spumosa vomitione reddiderunt. In sectis eorum cadaveribus ventriculus rubore suffusus et inflammatus, sanguis vero nunquam coagulatus, sed magis resolutus, serosus et fluidus, pulmonesque spumei semper apparuerunt. Eundem prope effectum non tantum in felibus, sed etiam in avibus, et speciatim in columbis, observavit *Ol. Borrichius Diff. de Somn. et somnif.* Sed canes ore haustrum opium minus commovere solet. His tamen idem pondere drachmarum duarum per os intrusum, quadrantis horae spatio primo anxietatem insignem et tremorem corporis, deinde pulsus cordis et arteriarum, aestumque veluti febrilem, pauloque post vertiginem, temulentiam ac stuporem peperit, ira ut alii lasi, anxi et somnolenti procumberent, alii tanquam mero somnoque graves titubarent, alii cruribus posterioribus flexis, anterioribus erectis, stupidi atque immobiles infesterent, et oculis semiapertis crebro capite nutarent, omnes vero humores varios et spumosos, opium redolentes, vomitione reiicerent; quibus perfuncti laboribus, aliis quidem citius, aliis serius, nihil amplius incommodi sunt perpessi, quidam etiam inde paulatim maxime pingves facti fuerunt. Eadem fere phaenomena,

mena, si vomitiones exceperis, injectionem solutionis opii, cum spiritu vini, tum vino, aquave factae, in venas consequuntur. Dissectis vivorum, dum somnolenti erant et stupidi, craniis, arteriae cerebri, cum maiores, tum minimae, quae omnes eius anfractus numero innumerabili pererrant et alluunt, sanguine turgidae et distentae, tanquam inflammatum esset cerebrum, eleganti spectaculo comparuerunt, sectaeque, sanguinem floridum, tenuem et serosum profuderunt. Neque minus arteriae per medullarem nervorum opticorum substantiam ad oculorum usque retinam productae, huiusque reticulari expansioni intextae, sanguine tumebant. Horum unus, dum secaretur cerebrum, impatiens laboris et molestiarum, vehementi capitinis commotione illud totum proieciebat, et relicto illaeso integroque cerebello, vivebat adhuc, eodem vero profunde dissesto, momento extinguebatur. Aperto ventre, ventriculus aliquantum inflatus, magnam seri nonnihil spumosi copiam, et quaedam opii nondum soluti frustula continebat, maculis rubris hinc inde notatus. Ex corde et vasibus sanguinis nequaquam coagulatus, sed fluidus, floridus, spumosusque prodibat.

V.

Notum praeterea est, opium omnis generis liquoribus solvi et extrahi, atque aquosis quidem menstruis partem concedere gummosam, ardentibus vero resinosam, et hanc utramque partem diaphoreticam et somniferam esse, ac fere vires totius concreti continere, hasque liquoribus acidis, nequaquam salinis volatilibus, vel fixis, infringi et destrui. Quodsi igni admoveatur opium, flammarum concipit, aquave de-

B 2

coctum,

coctum, vapores exspirat copiosissimos somniferos, et lamellis iniectum cendentibus, magnam partem in auras abit, quodque relinquitur, odorem suum gravem quodammodo obtinet. Vnus faltem eius scrupulus, affusis aquae libris IX. destillatione per alembicum aquam omnem odore suo fatis imbuit: sapor etiam fatis manifestus mansit. Quod vero cum faecibus aquae in cucurbita reliquum fuit, sapore odoreque omni caruit. Spiritus quoque vini, ab opio destillatione abstractus, uti saporem et odorem, sic etiam vires fecum evehit. Sin opium igni solum in retorta vitrea committatur, in phlegma, eoque solutum salem volatilem, sive spiritum urinosum, et fumos copiosos, qui partim in illum spiritum, atque in oleum concrescunt, partim per commissuras vasorum, quamvis arte obstructas, cum viroso foetore longe lateque evagantur, solvitur, relictâ in fundo vasis parte crassiore, eodem foetore pollente. Hac ratione CL. Archibaldus Pitcarnius refert *Diff. de circ. sanguin. in animal. genit. et non genit.* Alexandrum Monteith, virtum chymiae maxime peritum, re saepius tentata, ex una opii libra spiritus volatilis, et qui eadem omnia, quae spiritus cornu cervi, edebat phaenomena, uncias quinque, cum drachmis quinque, olei foetidi unciam, et drachmam, et sesqui drachmam, denique capitis mortui, spiritum cornu cervi spirantis, uncias septem cum drachmis sex impetrasse.

VI.

Quodsi nunc ea, quae ipsorum indicio sensuum de natura opii, eiusque partibus, et effectis in corporibus nostris, atque animantium aliorum, huic usque sunt adducta, recte conferamus, atque ex his omnibus collatis inter

inter se et comparatis mechanice ratiocinemur, id facile, opinor, intellectu erit, ab opii sale acri, volatili et sulphureo, in parte gummosa resinosaque coacto, a motu succorum corporis exsoluto, atque exagitato, hosque intus vicissim agitante ac dissolvente, insignem humorum sanguinis aestum et subitam rarefactionem excitari, indeque omnia tot tantaque opii effecta in nobis proficiisci. Ecquid enim ex sapore illius amaro et acri, ex odore eius penetrante, gravi et viroso, caput replente, ex inflammabilitate, ex facili solutione et extractione in liquoribus omnis generis, aquosis, ardentibus, acidis, et salinis, fixis, et volatilibus, ex virium diminutione ab acidis, ex multa evaporatione somnifera, quam coctione emittit, ex sapere et odore, quibus multae aquae et spiritus vini librae exigua eius mole imbuuntur, ex copioso spiritu volatili, cum acidis effervescente, oleoque, quae destillatione prolixiuntur, ac demum ex sanguine fluido, florido et spumoso, quem animantia, opio ebria, facta incisione vasorum cerebri et aliorum, fundunt, aliud ab opio sanguini evenire colligas, quam ab eius salinis, et sulphureis, tenuibus atque agilibus particulis, a perspiratione lymphaque ventriculi solutis, atque in vaſa et sanguinem calidum, ac motibus variis intestinis turgidum, intromisis, et magis divisis, atque exagitatis, cum eoque perpetua cordis compressione per ductus arteriarum quaquaversum diffusis, seseque expandentibus, partes sanguinis magis emoveri, dissolvi ac divelli, et hac mutua minimorum sese agitantium exsolventiumque collisione totam humorum massam pandi, fermentari, atque in maiorem aestum et fervorem coniici. Praesertim cum eam sanguinis elationem singula phaenomena et

effecta, quae ex usu opii et abusu in nobis eveniunt, hoc quidem clarius arguant, quo certius est, a nulla alia causa, quam ab una sanguinis subita rarefactione, cuncta provenire. Quod ut evincam, multa mihi praetermittenda sunt, quae in adversam sententiam afferri possunt, et cum veteres, tum multos recentiorum, interque eos praecipue doctissimum *Borrichium* adduxerunt, ut particulas, nescio quas, frigefacientes, addensantes, ligantes, figentes, in opio fingerent, hisque omnia eius effecta tribuenda putarent. Nam si rem ipsam expouero, isthaec deinde commenta facile diluentur, et sua sponte corruent.

VII.

Vt autem ordine progrediar, demonstrabo primum, quomodo ab opio, sanguinem rarefaciente, perspiratio corporis augeri, et sudor, ac somnus afferri posit. Haec enim, tanquam praecipua opii effecta, nos quasi manu ducent ad causas reliquorum phaenomenorum postmodum eo facilius indagandas. Ac de perspiratione quidem corporis minus laborabimus, cum ea a motu et rarefactione succorum corporis ita pendeat, ut pro vario eius vigore, nunc magis, modo minus, ipsa vigeat perspiratio. Cum igitur ab opio motio et divisio, atque adeo rarefactio et presio minimorum sanguinis augeatur, necesse est etiam expressio eorum discussio- que per universum corporis habitum corroboretur, et quicquid succorum solutum satis est, ac glandularum miliarium ceterisque meatibus cutis accommodatum, ex his veluti minimis siphunculis, continua serie, rivulisque tenuissimis, vel tacite in auras exiliat, vel magis magisque fusis humoribus, porisque patefactis, denso agmine prorum-

prorumpat, atque in aquae guttas et sudoris rivos congregetur. Atque hi quidem, cum magnam particulatum opii copiam permixtam gerunt, ipsum subinde opium odore prodent, et adveniente in primis somno large effuseque profluent, quod eo tempore ob relaxatos nervos et musculos pori magis patent, faciliusque etiam natura perspirare et sudare solemus. Siquidem, ut curiose *Sanctorius a Sanctorio in Med. Stat. S. IV. Aph. 1. et 2.* observavit, somnus placidus adeo perspirationi favet, ut septem horis quinquaginta unciae cocti perspirabilis in robustis saepe exhalent, atque dormiens eodem temporis spatio occulte, salubriter et sine violentia perspirare soleat duplo magis, quam vigilans. Quod minus quidem mirabimur, si cogitemus, somnum per rarefactionia, et quae sudorem excutiant, induci.

II X.

Neque vero causam somni, ab opio provenientis, aliunde rectius repetamus licet, quam ab eadem aucta sanguinis rarefactione, utpote quae, cum vi rarefactionium particularum incrementis subitis augescens, maius sibi spatium intra vasä exigat, si eo usque processerit, ut arterias solito magis dilatet et extendat, harumque tumore fibras cerebri et nervorum ita comprimat, ut earum undae et motus, cum directi ex cerebro ad partes, tum ab his regredientes ad cerebrum, impediantur, et minus expediti procedant, necessario illa sensuum et motionum intermissio et quies, quam appellamus somnum, exorietur, isque deinde hoc arctior evadet et profundior, eoque plura inferet incommoda, quo maior est ipsa humorum sanguinis rarefactio, et hinc oriens cerebri, indeque propagatorum nervorum pressio.

sio. Cui quidem admitrendae illud omnium maxime idoneum est, quod non solum est pars corporis molllissima, sed etiam ingentem vasorum sangvineorum copiam recipit, quae cum meningi tenui intexta, non solum exteriorem ambitum et corticem complectantur, sed etiam omnes sulcos et anfractus, interioraque cerebri, tam calvaria contenti, quam per spinam producti, subeant, atque alteram eius partem, quae vulgo corticosa et cinerea, ac glandulosa dicitur, constituant, et praeterea plexuum mirabilium specie in cavitatibus ventriculorum cerebri recondantur, a copia humorum aestuque vario facile ita distendi, atque extrorsum trudi et urgeri possunt, ut omnem fibrosam cerebri compagem, unde nervi progerminant, varie comprimendo, secretiōnem derivationemque succi nervosi, a quo vis sentienti movendique manat, varie intercipiant et praependant. Id quod in primis de conicis arteriarum ductibus capiendum est, utpote qui, quoniam a basi ad verticem venas versus humores deferunt, et tunicam suam crassiorem ac musculosam, qua vis contrahendi propellendique viget, in cerebro exiunt, illorum nisi resisteret minus possunt, sed vi quaquaversum nitentis in latera tunicarum sanguinis extrorsum facile cedunt, et tumorem, a quo cerebrum comprimitur, concipiunt. Eadem est ratio arteriarum, quae una cum venis nervos ubique comitantur, eorumque textui fibroso inferuntur et miscentur. Namque hae, ut leni pulsatione sua fibrillas nerveas vibrando undas earum placide promovent: ita plus aequo tumidae et distentae, fibras easdem nerveas comprimendo undas earum intercipiunt et cohibent, unde laxamentum fibrarum, et motionum, quae

quae a vividis nervorum undis proficiscuntur, remissio
oritur.

IX.

Hoc modo omnia, quae multae sunt evaporationis, et sanguinem rarefaciendo, vasaque replendo, *ναγηθειαν* afferunt, somnum efficiunt, cuiusmodi sunt omnia papaveracea, lupulus, absinthium, erodus, semen cannabis, allium, nux moschata, vinum, spiritus vini, aliisque ardentes, ac quibus liquoribus fermentati, atque ex illis confectione aquae stillatitiae carminativaes, cephalicae, apoplecticae, epilepticae, et his consimiles inebriantes, quas vulgo vitae appellant, atque ab apoplexia et epilepsia praeservare credunt: *Quod quam sit ineptum, praeclare intellexit Crato Conf. XXXVII. Volunt quidam in eiusmodi affectione aquis destillatis, quas vitae appellant, uti; verum cum et imperitissime fiant, et adhibeantur, abstinendum, ne accelerent magis mortem, quam avertant, cupio.* De experientia multis loqui, aequo animo patior; verum cum imperitiam suam manifesto prodant, et stultorum plena esse omnia nimium res ostendat, numerum ne augeam, mibi cendum esse puto, ne vapores vel cerebrum petant, vel laedant, in huius causae consideratione rectissimum et tutissimum est. Et paulo inferius: *De aquis vitae mortiferis nihil dico. Magna est varietas, summa in usu vanitas, atque non minus interdum, quam ebrietas, quae huius malii mater est, cum eodem modo cerebrum afficiant, nocent.* Consimili modo *Wepfenus Exerc. de Apopl. p. 256.* *Quod, inquit, spiritus vini praefat, idem et iuniperinus, cerasorum nigrorum, liliorum convallium et similes valent, idque eo potentius, si infusis aromati- bus imbuantur. Hi si frequenter assumantur, non solum cerebrum ad apoplexiā proclive reddunt, sed et nimium ingru-*

C

gitati,

gitati, citra aliam causam, soli illam saepius effecerunt. Eodem referenda etiam mandragora, tabacum, cynoglossum, hyoscyamus, solanum maius, praesertimque illud, quod bella donna Italis vocatur, ut et cicuta, de qua ridiculum est, quod narrat *Matthiolus Comm. in Diosc. L. IV. c. 74.* videlicet alinos in Hetruria, si eam depascantur, profundissimo somno et torpore capi, ita ut plane mortui videantur, idque rusticos eius rei ignaros aliquando fefellisse; dum enim asinis, quos mortuos credebat, pellem detraherent, illi in medio fere operis experrecti, aufugerunt non sine ingenti excoriantium terrore et spectantium risu. Neque aliam ob causam cibo onusti somno capiuntur, ut manifesto ex mutatione, quae imminenter et durante somno, circa caput eiusque partes accidit, deprehendimus. Nam caput succorum affluentia et pressione repletur, aggravatur, itaque opprimitur, ut sine fulcimento loco suo naturali sublimi confistere atque attolli minus possit: praeterea palpebrae concidunt, nec oculus, nec auris, nec ullum sensus organum officio suo recte praeesse potest; immo obiecta sua solita fugiunt et moleste ferunt. Hinc etiam dormientium vultum et florido suffundi rubore, et sudore naturaliter madere vides. Ita quoque pediluvia, lotiones capitis, thermae, et acidulae, largius potae, nec quanta satis est, copia redditae, et quaecunque molem humorum et rarefactionem adaugendo presionem cerebri inducunt, aut certe tensionem fibrarum eius vividam ita relaxant, quo pressioni humorum in vasis sanguineis minus resistant, somnum conciliant. Quo posteriori modo spontanea animi relaxatio, silentium, tenebrae, svis cantus et lenis aquae decursus, arborumque ex ventulo susurri, et quae huius

huius generis sunt alia, ac demum varii labores corporis et animi, idem efficiunt.

X.

His igitur nixi momentis, ceterorum quoque phaenomenorum, quae ab opio induci diximus, rationes facile reddemus. Nam eadem rarefactione sanguinis, qua perspiratio corporis augetur, etiam initio calor illius, pulsusque cordis et arteriarum convalescit, et sanguis parte supervacanea, serosa, et acri, corporique infensa, cum percutis, tum renum meatus, liberatur, novusque adeo vigor, et magnum multorum morborum levamentum afferatur. Indidem ariditas oris, et fitis, ac molestus corporis pruritus existunt, quum corpus eodem illo humorum aestu effluvioque magna lymphae, quae in salivam abit, et os, partesque alias rigat et humectat, copia privatur, quodque vi acrimum et fervidarum opii particularum, adactum, iisdemque auctum, perspiratione exit et redditur, acie sua et fervore papillas nerveas cutis, et illam tenerimam tunicam, quae gulae, faucium et oris interiora obducit, et cum nervea ventriculi tunica continuatur, infestat. Quodsi eo usque processerit vis rarefactionis in sanguine, ut motu praecipi et assultim perspiratio fiat, multum quoque succosum et nutricium, atque excitandis sensuum motionumque operationibus utile ac necessarium effuerit, et harum iactura particularum, quae virium sunt opifices, langvor corporis et imbecillitas ac torpor hoc succedet faciliter, quo citius ab eadem causa pressae cerebri et nervorum fibrae, succum nervosum minore copia et vigore transmitunt. Vnde musculi, qui fundamenta sunt virium nostrarum, moveri difficilius pot-

C 2

erunt

terunt, accedetque laxitas quaedam membrorum, qualis defatigatis supervenit, ac cerebrum somno gravabitur, eoque turbulentio quidem et somniis pleno, cum a varia arteriarum, cerebrum alluentium et pervadentium, pulsatione variae itidem et confusae in eius fibris agitationes, hisque respondentes in mente cogitationes, excitantur. Somnum vero praecedet temulenta, cum ab humorum aestu et rarefactione cum impetu inaequali, varioque, et modo remittente, modo recurrente, extrorsum trusae et dilatatae arteriae, fibras cerebri et nervorum, ipsaque sensuum organa, pari modo premunt, vibrant et dimovent. Hinc enim sensuum ipsiusque operationes mentis varie perturbantur, et sicuti ab eiusmodi in nervis opticis tunicaque retina dimotione obiecta moveri videntur quacunque motuum perturbatorum differentia, et caligo oculorum, atque illa admirabilis oritur passio, quae ab apparente visibilium vertigine vertigo nominatur: ita a nervorum aliorum, quae ad alia sensuum organa pertinent, affectione simili aliae corporis ac sensuum mutationes, cuiusmodi in ebris occurrere solent, profiscuntur. Immo vero si fiat, ut vehementior humorum aestus ipsam cerebri fibrosam compagem invadat, eoque immutata ipsius naturali temperie, qua mens rationem suam exercet, cum aestus interioris, tum exterioribus arteriarum imperitis impulsibus totum musicum cerebri opificium committatur, de imperio suo statuque mens deicietur, et amens homo atque insaniens reddetur.

XI.

Ac quemadmodum a moderata cerebri et nervorum presione somnus optatus existit, et pulsus cordis,
atque

atque adeo circuitus sanguinis fit sedatior, et salutaris motuum in toto corpore tranquillitas ac moderatio inducitur, indeque agitationes partium spasmodicae et dolorificae, et derivationes humorum fluxionesque impetuosae, conquiescunt, cum interea perspiratio corporis minus ferietur, sed multas impuritates locomoveat et educat: ita e contrario a vehementiore cerebri et nervorum pressione plura alia magna incommoda eveniunt. Nam si forte fiat, ut ab illa sanguinis rarefactione atque extrusione arteriarum in una solum, vel altera cerebri, aut spinalis medullae parte, vel in hoc etiam, illove nervo, fibrae quaedam vehementius compressae, aut quoque a succo, propter impeditam progressionem lentescente, obstructae, motum omnem et transitum intercludant, pars illa corporis, ad quam nervi illi pertinent, sensu motuque privabitur, et fiet illa affectio, quae paralyfis et resolutio nervorum dicitur. Et quemadmodum valde laxa fides musica minime tremere potest et sonum edere, vel si concipiatur aliquem, eum brevissime leviterque retinet: ita si fibrae medullae cerebri plus aequo compressae, a subeunte succo ad naturalem tensionem et vividas undas redire satis nequeunt, etiam undas et motiones olim conceptas minus iterare poterunt, aut si recurrent eaedem et iterentur, brevidurabunt, et, quod idem est, nulla fiet memoria, vel diminuta tamen, et stupidus homo ac bardus evadet. Si ea sit rarefactionis aestusque vis, ut arterias cerebri et nervorum omnes ita infarciat et extendat, ut tumorem maiorem et prope inflammatorium, cuiusmodi ex intumescentia et rubore oculorum haud obscure cognoscitur, concipiatur, et cerebrum ac nervos ita comprimant,

ut commercium inter illud et sensuum motionumque organa magis ac magis prohibeatur, pro vario vehementiae gradu, parum aut nihil sensus, parum vel nihil motus, illarum praecipue partium, aderit, quae cum ministerio musculorum sibi mutuo contranitentium fiant, nutuque mentis regantur, maiore succi nervosi copia opus habent. Vnde velut graviore somno corruptus homo decumbet, et varie lacesitus ac stimulatus, nunc facilius, modo difficilius expurgiscetur, ac protinus in veternum relabetur. Supereffe tamen poterit motus partium, quibus sanguis in orbem movetur, nimirum cordis, et musculorum, inspirationi servientium, quia hi musculi nullos habent musculos antagonistas, ac minore adeo vi succi nervosi indigent. Inter haec etiam convulsiones accident, cum ille sanguinis aestus non omnes arterias cerebri pari modo extendit et distrahit, atque adeo non omnes fibras cerebri et nervorum pari modo premit; unde in hos illosve musculos quaedam succi nervosi, modo maior, modo minor, copia nullo motus ordine exprimetur, eosque contrahendo convulsiones excitabit, et prout hi vel illi musculi ita contrahentur, hoc vel illud genus convulsionis appellabitur. Quodsi compressio cerebri sit tanta, ut influxum succi nervosi pene omnem prohibeat, non tantum sensus motionique omnis voluntaria peribit, ac stipitis instar immotus homo iacebit, sed etiam contractiones musculorum pectoris debilius succident, et spiritus proinde plus minus reddetur difficilis, ac morbus attonitus, sive apoplexia, quae exitiosa plerisque esse solet, exorietur. Nam si haec affectio magnopere premat, cordis quoque contractio minuetur, et pulsus arteriarum langvidus varius.

que

que evadet, et quia ob debilitatum motum pectoris cavitas huius parum augetur, et parum adeo aeris in pulmones immitti, eosque parum pariter explicare potest, ac proinde sanguinis, qui ex dextro cordis ventriculo in arteriam pulmonum compellitur, per compressos eius ramos aegre progreditur, ac media in via subsistere cogitur; magnus in pectori labor, atque anxietas magna, et stertor, sive agitatio illa pectoris, qua per tremulum pinnarum motum maior aeris copia, maiorique cum impetu, per nares in pulmonem impellitur, excitabitur, hominemque defatigabit, dum ingravescente vi pressionis, vis cordis pariter ac pectoris magis magisque elanget, et coercito paulatim vitali humorum circuitu, calor corporis pereat, et sudor anhelitusque tandem frigidus reddatur, et occlusis penitus nervorum viis, cum motu cordis motus omnis in corpore concidat, et vita cum morte commutetur.

XII.

Ex his, nisi me fallit animus, clarum est, omnia phaenomena, quae ab usu et abusu opii in nobis evenire solent, ab una sanguinis subita rarefactione recte deduci. Quemadmodum vero operationes et effectus, qui a medicamentis sperantur, non ab his tantum, sed partim ab ipsis, partim a corporum nostrorum constitutione, sive natura, dependent, aut, quod vulgo dicitur, medicamenta non ad modum activitatis, sed receptivitatis suae, agunt: ita illud, opinor, praeterea quivis intelligit, pro varia naturarum conditione effectus etiam opii varios esse debere. Prout nimirum humores corporis variant, et aliter atque aliter sunt temperati, magisque vel minus mutabiles, pro eo quoque opium varias in corpore mutationes

tiones afferet. Cui accedit contextus vasorum fibra-
rumque cerebri et nervorum varius. Nam qui succos
habent temperatos, et corpora magis perspirabilia, in
his opium rarefaciendo humores operatione sua citius
perfungetur, faciliusque perspiratione dissipabitur, et
minores adeo tumultus excitabit, quam in iis, qui vel
humoribus redundant, vel eos turgescentes et impuros
gerunt, et densiorem cutis habitum, minusque pervium
habent. Namque illorum copia et impetu adiutae et
efferatae opii particulae, hoc maiorem intus tumultum
et fervorem, ac tumorem vasorum, presionemque
cerebri et nervorum graviorem efficient, quo
minus expedite propter copiam, et turgescentiam, ac
lentorem succorum vasa peragrare, et per meatus porosque
cutis arctiores eiici possunt. Quorsum proinde
patet aeris etiam nos ambientis constitutionem per-
multum conferre. Sub coelo enim calidiore liberius
perspiramus, quam ubi inclemensior aer poros strin-
git. Ut non una sit ratio, quamobrem populi ad orientem
longe facilius opium ferant, et minus inde periclitentur,
quam nostri. Veruntamen et in hoc plurimum valere consuetudinem, satis illorum exemplis patet,
qui opio paulatim assuetae, non eo tantum postmodum
sine detrimento in sat magna quantitate utuntur, sed
etiam commode desvescere nequeunt. Id quod etiam iis
usu venire solet, qui fumo tabaci, vino et spiritibus ardenti-
bus, aliquique liquoribus inebriantibus nimis adsuere:
nam et his perquam difficile est sibi temperare et sobrie
vivere. Atque hi omnes quanquam isto abusu se recte
valere opinantur, tamen varios sibi morbos, ac malum
praesertim corporis habitum, unde varii generis mala
prof-

proficiscuntur, contrahunt, et stupidi ac veternos fiunt, tandemque aqua intercute, vel marcore et tabe deficiunt. Quippe isthaec omnia humores nimium exagitant, et magna acrimoniae sulphureae copia vasa sanguinemque inquinant, qua uti perspiratio quoque fit acrior, et benigni ac roscidi humores conficiuntur, et tonus viscerum ac vasorum debilitatur, porique et meatus eorum mutantur, et magnus in succis corporis fervor, ac pressio cerebri et nervorum insolita excitatur, hisque tot motibus adversis tota paulatim natura fatigatur et pervertitur: ita et magna non modo corporis, sed etiam affectuum et operationum mentis mutatio inducitur, et sicuti calor et acrimonia crescunt et habitant in sanguine, ita et furor atque temeritas in animo: fatiscente vero eodem et debilitato, tristis stupidusque evadit animus. Quemadmodum *Galenus de tuend. sanit.* optimi temperamenti optimos esse mores, pronunciat, qui et integrum librum scripsit, ut probet, affectiones mentis sequi temperaturam et constitutionem corporis. Ex his vero inebriantibus opiate efficacissima sunt, quippe quae subita violentaque sanguinis rarefactione, et inde oriente vehementi arteriarum distractione, cerebro et nervis, atque adeo cordi, utpote paulo validiore illorum pressione languescenti, perquam molesta, et hoc magis sunt exitiosa, quo teneriorem, aut iam nimis fatigatum et fractum vasorum fibrarumque cerebri et nervorum contextum offendunt. Quare si recte *Plato II. de Legibus*, pueris ad duodevigesimum usque annum, antequam viri effecti subire labores incipient, omni vini usu interdixit, quod ignem igni in corpus atque animam suggerat, et damnum utrique maximum pariat: quanto ma-

D

gis

gis id de opio praecipiendum erit, ut ab eius usū prima præfertim aetas prorsus abstineat, utpote cuius compages fibroſa cerebri adhuc tenerima est, suaque molitie prope diffluit. Nam praeterquam quod huic nervisque maxima afferat incommoda, et ipsius rationis lumen extingvat, subitae etiam mortis occasionem præber. Patet etiam, rem esse periculi plenam in senibus, et in universum omnibus, qui debili sunt cerebro, et viribus infirmis, et vi morbi acuti, vel longi, fractis et attritis, quique facile in somnum prolabuntur. Namque in his vires corporis exhaustae etiam leviori pressione cerebri facile ita penitus infringi possunt, ut musculi cordis et respirationi servientes, influxu cerebri destituti, magis magisque in motu suo deficiant, ac demum in extialem vitae transeant quietem. Quorsum proinde summa cautione respiciendum est, in quo cunque demum morbo opium adhibendum putemus, sive perspiratio promovenda, sive fistendae fluxiones, sive dolores, et motus humorum ac partium solidarum temperandi, somnusque conciliandus, sive alia utilis intentio expedienda, ut temper virium rationem habeamus, utrum ferendo sint tam generoso remedio, idemque exigente demum necessitate, et debito tempore, debitaque dosi, et convenientibus coniunctum remediis adhibeamus. Nam qui vel latum ungvem hic transgreditur, facile peccatum, quod vel ipse quidem, et alii saepe ignorant, committere poterit, ab aegro innocentे morbo graviore, ipsaque morte piandum.

XIII.

Vt vero haec ex abusu opii eveniunt: sic multis in morbis nullum generosius diviniusque erit remedium, et quod

quod maiora praestare possit, quam quis ab uno medicamento facile speraverit, quoties eodem recte utemur. Id quod profecto fiet, si memores simus, opium, quicquid agit, id subita humorum rarefactione agere, indeque et perspirationem promoveri, et facta distractione arteriarum cerebrum ac nervos premi, eoque influxum succi nervosi, atque adeo cordis et muscularum ceterorum, ac fibrarum quarumvis motricium motus temperari ac minui, atque iis quidem mutationibus, si moderate et opportune fiant, et succos sanguinis dissolvi, atque per meatus cutis renunque expurgari, et somnum, maximum in medicina arcanum, et praesentissimum saepe auxilium, conciliari, et dolores ac motiones alias partium inordinatas, impetusque humorum compesci, et tranquillitatem corporis optatam, ac totum solidi ac liquidi concentrum instaurari: Sin immoderate, minusque opportune eadem mutationes fiant, multa gravia symptomata, in mortem plerumque desinentia, excitari. Quae qui minus considerat, is temere cum opiatibus ager, etiam si sua opinione optime praeparatis et correctis utatur, aut, si quid iisdem opibus aliquando afferat, id casu et fortuna fiet, non consilio et ratione. Cum contra quias opii vires et mutationes in corporibus nostris repte perpendit, de correctionibus eius minus solicitus esse debeat, sed eodem crudo tempore necessitatis tuto uti posse, modo convenienti subiecto, morbo, tempore, dosique idem adhibeat. Quemadmodum constat de medicinis illis veterum, quas Deorum manus vocabant, theriacam puta et mithridatum, nec minus de diacordio Fracast. et Sylvii, pilulis de styrace et cynoglossa, ac confimilibus compositionibus, quae pro basi et ingrediente principali

cipali crudum habent opium, notum est, eas quotidie se-
cure magnoque aegrotantium commodo usurpari. Equi-
dem *Helmontius Tr. de Duumv.* felicem praedicat aegrotum,
cuius auxiliator medicus norit lethale e papavere et opio
separare, retenta virtute desiderata, cum alioquinocuum
una cum proficuo assumatur. Sed quia vis omnis opii,
tam noxia, quam salutaris, a particulis eius salino-sulphu-
reis et rarefacientibus pendet, id quidem clare liquet,
non posse alteram ab altera separari, et tot eius corre-
tiones, quot fere sunt medicorum, non aliunde profici-
sci, quam ex ignorato modo, quo vires suas opium in
nobis exequitur, et felicem adeo illum esse aegrotantem,
cuius medicus opio, sicubi necessitas requirat, recte uti
noverit. Id enim est, retenta virtute optata, lethale ab
opio separare.

XIV.

Ac optima profecto est opii praeparatio, quae
simplicissima est, et solutione eius extractioneque par-
tis gummosae aqua pluvia, vel rore maiali stillatio-
ne, aut phlegmate aceti stillatitii, aliove liquore aqueo,
in vase clauso, et loco temperato, perficitur, cui si quis ex
parte residua spiritu vini extractam paucam substantiam
resinosam permiscere velit, ut cum *Lemery et Charas l.c.*
multis placet, minus errabit, sed quicquid inept opii uti-
lis, obtinebit, iisdem pollens viribus, quales in purissi-
mis lachrymis desiderantur, quodque adeo aliis conve-
nientibus mixtum, recteque adhibitum, nulli laudano
cedet. Nam qui opium torrefaciendo, vel coquendo,
et evaporatione salinae volatilis et sulphureae substan-
tiae quoquo modo facta, praeparant, illud parte effica-
ciore, a qua vis eius pendet, privant. Qui vero ad idem
extrahendum adhibent acetum, succum citri, et alios li-
quores

quores acidos, partem eandem meliorem alterando et
figendo, virtutem eius minuunt. Spiritu autem vini,
tincturaque tartari, et eius generis liquoribus ardentibus,
quibus resinosā portio extrahitur, ut et spiritu salis
Ammoniaci vinoſo, aliisque liquoribus falinis volatilibus,
opium corrigi, nemo temere affirmaverit, qui vim illius
omnem a sale sulphureo ortum ducere, atque a liquoribus
ardentibus et volatilibus, qui stiupte vi somnum in-
ferre possunt, si paulo maiori copia adhibeantur, maio-
rem vigorem acquirere, novit. Neque apparet, quo-
modo fermentations cum succo cydoniorum et faccha-
ro, vel floribus cerevisiae, aut sale tartari, vel cum hoc
et aceto stillatitio, aut vino Rhenano, institutae, ut placuit
Helmontio, Langelotto, Boyleo et aliis, vel admixtio saponis
alcalici, quod ex ol. terebinthinae et sale tartari conficitur,
et rad. liquiritiae, helleb. alb. et nigr. in pilulis Angli-
canis *Starkii*, vel addita folia auri, gemmae, margari-
tae, lapides bezoar et cancrorum, mumia, os de corde
cervi, unicornu marinum et fossile, testae concharum,
corallia, sal coralliorum, perlarum, succinum, sangvis
draconis, cinnabaris, antimonium diaphoreticum, aliū-
que pulveres, cum mites et insipidi, tum quoque calidi et
aromatici, achorum extracta, oleaque stillatitia, cum cro-
co, castoreo, ambra et moscho, unde varia variorum, *Pa-*
racelſi, Andernaci, Keckii, Lutheri, Crollii, Quercetani, Zuvin-
geri, Beguini, Sennerti, Brunneri, Mynſchti, Wieri, Hartman-
ni, Lotibii, Schroederi, Bontii, Michaelis, Conerdingii, Ludovi-
ci, Londinenſum et aliorum laudana, ita ab architecto
huius vocabuli *Paracelſo* dicta, quod omni laude dignisfi-
mae fint medicinae, emergunt, corrigere possint.

XV.

Natae autem tot laudanorum compositiones non aliunde videntur, quam ex praeiudicatis opinionibus, quibus alii frigus opii, alii sulphur eius narcoticum et malignitatem corrigere, alii tetrum saporem et odorem emendare, alii praeterea ventriculum, cor, cerebrum et uterum contra virulentiam illius praemunire et confirmare voluerunt. Eodem procul dubio respexerunt veteres in compositionibus theriacae, Mithridatii, et similibus, quae pro basi opium, reliquaque tot admista calida habent ad noxias illius qualitates retundendas et corrigendas. Hos secutus *Borrichius l. c.* opium minus secure iungi, putat, medicamentis insipidis, quam manifeste calidis, propterea quod pro hac mixtura pugnant experimenta plurimum seculorum, imo urgens ratio, pro illa non item: quippe, si quam noxam opii frigus imprimat, eam supervenientem calorem aromatum corrigere. Sed satis iam cum ratione, tum usu, edocti sumus, minime periculosum esse opium, si quidem exigente necessitate, debita dosi, et pro occasione morbi ac indicationum, cum aliis convenientibus remediiis praescribatur, et supervacanea esse, quae vulgo in compositionibus laudanorum adduntur, iisque opium non corrigi, sed saltem additis variis sociatum magis extendi, idque ita obtineri, ut dosi minori commodius aliis permisceri et exhiberi posit. In quo etiam veterum solertiam laudare convenit in compositionibus theriacae et Mithridatii. Nam tametsi illae ingenti simplicium superflorum et inutilium, quae numerasse, non penitus autores, merito censemus cum *Hofmanno c. III. Paralip. offic.* farragine constent, tamen vel

vel ideo laudem merentur, quod in iisdem opium ita
expansum et divisum sit, ut in exigua quantitate ma-
gnas vires edere, et commode in varias doses dispesci
possint. Quorsum etiam respexit *Platerus* cum *Pr. Tr. II.*
c. 13. magis laborandum putat de apta permisitione ingre-
dientium cum opio, ut lotum per totum commixtum
sit, quam de admixtione multorum calidorum. Idem
probe cognovit celeberrimus *Wedelius*, cum *Pbarm. L. II.*
S. II. c. 8. §. 7. scribit: *Sic extractum opii, vel laudanum sim-
plicissimum, ex solo opio factum, longe praferendum est, no-
stra quidem sententia, omnibus laudanis, hinc inde prostan-
tibus, cum essentia specierum diambrac, diamoschi dulcis, ma-
gisterio perlarum, coralliorum, et similibus factis, ipsa enim
haec pro extemporaneo usu longe felicius adduntur pro rei in-
tentione, et variatione circumstantiarum.* Nec aliter opi-
natur *Sydenhamius* in *obs. med. circa morb. acut. hist.* et *curat.*
S. IV. c. 3. Et quamlibet sint nonnulli, qui credulis persuadere
velint, omnem fere narcoticorum, opii praesertim ipsius, vir-
tem ab artificiose ac debita, quam soli adhibent, praepara-
tione pendere; qui tamen experientia iudice certaverit, et
tam simplicem succum a natura oblatum, quam eius praepa-
rata cum diligent observatione in usum frequenter revoca-
verit, nullum fere discrimen intercedere comperiet, et miran-
dos illos effectus, quos edit, nativae ipsius plantae bonitati
atque excellentiae, non vero artificis polydadal solertiae debe-
ri, certo sciet. Is igitur ob formam saltem commodio-
rem et maiorem dosis certitudinem in familiari usu ha-
buit laudanum liquidum, quod ex opii uncis duabus,
Croci uncia una, cinam. et caryoph. ana drachma una,
cum vini Hispanici libra una, leni digestione per duos
tresve dies in B. M. dum liquor debitam consistentiam
acqui-

acquirat, conficitur. Qui vero cum laudanis suis ita sibi placent, ut in omnibus prope morbis eadem adhibenda censeant, hi audiant iudicium doctissimi *Sennerti nostri* *Pr. L.VI. P.VII. c. I.* *Panaceam vero quasi in medicamentis opiatis, quae Galenus corpus nonnihil laedere scribit, certisque saltem usibus destinata sunt, facere velle, et iactare, laudanum, quocunque etiam modo praeparatum, omni aetati, et cuicunque pene morbo, convenire, Empirici potius est, quam Rationalis medici.* Horum etiam temeritatem et iactantiam merito notavit *Io. Renodaeus Antid. L. II. S. IV. c. 23.* *A paucis, inquit, annis quaedam pseudomedicorum cohors exorta est, qui pro pilulis de cognoglosso usitatissimis, confectionem quandam opiatam, laudanum illis dictam, exhibent, quam non tantum somnum conciliare, sed etiam morbos quosvis abigere pollicentur. Agytam vidi, qui fere exanimes et semi-mortuos suo laudano revocare iactabat. Huius pharmaci nunc apud circulatores adeo invaluit encomium, ut nullus sit Empiricus, nullus tam bebes medicaster, nullus vel plebeius tonsor, qui se *Laudanistam* non profiteatur.*

XVI.

Sed satis pro instituti ratione de vi rarefaciente opū dixisse videor, neque opus esse puto, ut in refellendis aliorum opinionibus adhuc immorer. Namque hae ex illo vulgari errore, quo secundum *Aristotelem L. de somno et vigil. c. 3.* somnus esse coitus quidam caloris ad intima resfugientis, et produci creditur, vel a revocatione et reditu spirituum ab organis externis ad interiora, vel a vaporibus et halitibus, ex ventre inferiori, ac potissimum ventriculo, ad cerebrum sublatis, vel in hoc ex sanguine intromisis humoribus serosis, in eoque alacriorem spirituum animalium motum sistentibus, sive, ut habet

habet *Borrichius* l.c. p. 18. facies particularum laeves faciebus non admodum dissimilibus apprimendo, sive partes dissimiles praecipitando, modo Chymicis notissimo, sive denique poros spiritibus pervios occursu suo obstruendo, aut spiritus ipsos modo alio ligando, figendo, addensando, coagulando, suffocando, vel etiam fugando, ne ad organa exteriora commeare queant. Qua innixi sententia, singulares in opio particululas narcoticas, spiritibus infensas, et poros cerebri obstruentes, somnique effectrices, finixerunt. Ita enim *Willius*, quem plerique seqvuntur, ex effectis constare, scribit, concretionem opii salino-sulphuream spirituum animalium texturae salino-volatili omnino contrariam esse, eamque destruere *Pharm. Rat. P. I. S. VII. c. 2.* Neque aliter statuit *Sylvius*, cum *Prax. Med. L. II. c. 26.* vim opii narcoticam, opinatur, esse adiunctam parti eius sulphureae, sive oleofae, spiritus animales segniores, minus agiles, et ad motum ineptiores reddenti. Eodemque inclinat *CL. Tournefort*, quando in *praefat. Histor. Plant.* ab opio aut produci, aut secerni, putat, in sangvine liquorem illum, qui somnum conciliat; cumque dosis praebetur idonea, sic fundi sanguinem, ut rori illi benigno, quo ligantur spiritus, procreando sufficiat. Quodsi ultra, quam par sit, dosis augeatur, serosum humorem spirituum motum perturbare, ac saepe hinc soporosos affectus produci. Ipse doctissimus *Wepferus*, qui vim fermentandi et fundendi humores sanguinis in opio egregie cognovit, a seri fusi halitibus in medullam cerebri nervosque immisis, et horum meatus ita infarcentibus, ut spiritibus animalibus transitus denegetur, somnum repetit l.c. Quem quidem communem complurium errorem, quo opium

E

vim

vim suam somniferam non in arteriis, sed intromisit
ex sangvine in fibras cerebri et nervorum partibus qui-
busdam, spiritus, quos vocant, animales ligantibus, vel
vias eorum oppilantibus, exerere creditur, cum illa,
quae de arteriarum distensione, et pressione cerebri ac
nervorum dicta sunt, ostendunt, tum vero laudatus *Pit-*
carnius i. e. adeo invictis argumentis demonstravit et
evicit, ut nihil addi queat. Econtrario videoas non-
nullos, quibus volupe est eodem spirituum animalium
vocabulo ludere, in eam devenisse opinionem, opium
non commixtione, sive fixatione materiali, sed ideali, sive
virtuali, cum adhuc intra ventriculum haeret, spiri-
tus ab aliis functionibus ad se revocare, atque ad tran-
quillitatem disponere, et pene figere, eo propemodum
modo, quo homo, dum attentius intuetur obiectum, ob-
stupescit, atque infantes tum consopiri feliciter observa-
mus, cum fabulas modulatur anus. Ad hos etiam acce-
dit *Cl. Io. Jones*, qui, ut ex *Aet. Erud. Lips. A. M D C C I. p. 442.*
constat, in *Myster. Opii revelat.* ab opio, negat, ullam in
sangvine mutationem induci, sed omnes eius effectus
tantum pendere, existimat, a fvari ventriculi titillatione,
quam ei illud sale suo volatili oleoso imprimat, et hinc
orientे quodam grato iucundoque voluptatis sensu in
anima, quo spiritus recreentur, et hilariores alacriores
que fiant, atque per organa sensuum, ob gratam illam
sensationem ab anima quasi derelicta, et relaxata, magis
expansi, aliunde advenientes motus et impresiones
aspernentur, vel suscipere minus possint, sed vini odore
et dulcedine capti, molli somno requiescant. Quae si ita
forent, oprandum etiam esset, ut opio sepulti tam subito
excitari possent, quam vel obiecti cuiusdam oblectatione,
grato-

gratoque voluptatis sensu detenti, vel infantes somno excitantur. Verum uti haec prima facie alicui nonnihil fortasse abblandiuntur: sic suapte sponte corruunt, si cogitamus, id quod supra satis demonstratum est, opium quicquid agit, id rarefaciendo fangvinem, atque arterias cerebri et nervorum distendendo, ac textum utrorumque fibrosum premendo, efficere.

XVII.

Quam quidem sententiam ut ab omni dubitatione vindicemus, videamus breviter, quae in partem adversam afferri possint. Inter haec praecipue sunt effecta quaedam, quae intempestivum et immoderatum opii usum solent consequi, ac praesertim stupor, spiritus ac pulsus debilis, frigus extremorum, sudores frigidi, ac postremo frigida mors, quibus inductus *C. L. Borrichius l.c.* pro veterum sententia eleganter disputavit, in eoque totus fuit, ut vim omnem opii somniferam et diaphoreticam frigoris sobolem esse, eamque a particulis oleosis, corpus nebulae instar perreptantibus, et ubi inciderint in liquores, eosdem nebulae suaे involutos fistentibus, sive motum eorum excitatiorem impudentibus, penderet demonstraret. Sed satis ex his, quae supra diximus, patet, haec effecta immoderatam demum fangvinis rarefactionem, abusu opii inductam, consequi, qua plus aequo distentae arteriae, fibras cerebri et nervorum fortius compriment, et motum adeo ac transirum succi nervosi ad cor, et musculos pectoris, aliaque sensuum et motionum organa prohibent, unde necesse est, ut circuitus humorum, vitae fons et caloris, deficiat, et utrique iniuncta quies, cum in solidis, tum in liquidis partibus inducatur. Nam tametsi fangvis initio aestu tumeat et fer-

veat, atque in calidos sudoris vivos dissolvatur, tamen nisi
is debito vigore ex corde per arterias ad partes propellatur,
effoetusque per venas ad idem, unde venit, principium reducatur,
brevi motus illius vividus, cum eoque calor eius, et qui ab hoc existit, membrorum corporis
perit, et fusi antea humores serosi, calidi adhuc, vel te-
pidi, aut frigidi, pariter prodeunt, prout motus cordis
magis vel minus imminuitur et deficit. Quemadmo-
dum a sufflaminato ex levi etiam causa motu cordis syn-
cope correptos extemplo comperimus, non viribus tan-
tum omnibus deficere, sed etiam algere, et sudore frigi-
do, maxime in fronte, temporibus, collo ac pectore, per-
fundi, quamvis se recte antea habuerint, pauloque post
vires cum calore recipient. Adeo arcto nexu et vin-
culo motus sanguinis intestinus et progrediens conti-
nentur, ut neuter sine altero diu possit subsistere, sed ad
animandam hanc vitali robore machinam ambo amice
conspirare debeat. Idem proinde evenire videois iis,
qui fumo tabaci nondum adfveti, eius nimium capiunt,
ut et inebriantur, et sensus impotes fiant, atque in sudore
frigidum cum tremore et crebris animi deliquiis in-
cidant, quin imo interdum omni penitus sopito sensu,
e mentis potestate exeant, et quasi ecstasi rapti iaceant,
dum, discussa temulentia, quasi in vitam revocentur.
Neque aliter cum iis agi, qui vino spirituque vini, vel fru-
menti, sunt oppressi, et vulgo notum, et inter alios ex-
pertus est puer ille robustus ac vegetus, cuius meminit
Wepferus Comm. de Cicut. aquat. Hisb. et nox. c. V. qui cum
parum spiritus vini bibisset, mox temulentus factus, et
vix exacta hora, in templo magna dormiendo necessitate
correptus, pauloque post ad vomitum, quo partem spi-
ritus

ritus vini reddidit, solicitatus, atque ex templo quasi semimortuus ad aedes vicinas deportatus, in hypocauſto probe calefacto perpetuo domire voluit, ita ut succutiendo, vellicando et acclamando vix unum alterum ve verbum extorqueri potuerit. Post duas horas pallidus omnino, extremisque frigidus, et prorsus somnolentus visus est, vique erecto corpore nutans, ac si collum preferendo capiti impar esset, vomuit, eructavit crebro odorem spiritum vini redolentem, et oculos conniventes semper habuit, ignarus, ubi locorum esset, dum propinato crebro lacte lepiduſ cum oleo olivarum, et admoto naribus spiritu salis ammoniaci, ad se rediret, excussoque torpore, e lecto vegetus surgeret, ac domum reverteretur. Ex quibus cognoscitur, Cl. *Borrichium* proprios rei effectus confundere cum his, qui aliam ob causam, sive, ut loquuntur scholae, per accidens fiunt, quando vim opii somniferam frigoris sobolem esse, ab effectis frigidis iudicat. Namque eadem est operatio opii, quae fumi tabaci, vini, eiusque spiritus, et aliorum inebriantium, quorum vim inebriantem et somniferam nemo propterea frigoris sobolem dixerit, quod quietem sensibus inducant, et stuporem ac frigus extremorum sudoresque frigidos, et similia effecta afferant. Hos enim vel sola ignis flamma, quae ex accenso spiritu vini eodem sopitis aliquando ex ventriculo emittitur, ipsaque subinde corpora eorum consumit, erroris sui convicerit. Eoque ipso etiam concidit eiusdem doctissimi Autoris de vi opii sudorifera opinio, quando putat, ab opio spiritus et humores efficaciores addensari, hisque adeo vel non, vel parcius in nervos, fibras, glandulas, sphincteres, influentibus, serum a reliqua massa crassescente tum liberius, more seri lactis, a coagulo suo expediti, per poros

E 3 renum

renum et cutis sponte sibi viam facere, atque in sudorem abire. Ab hac non aliena est sententia Cl. Ettmüller, *Diff. de virtute opii diaph.* opium per accidens, mediante largiore pororum cutis hiatu, sudoris profluvium promovere. Vtique vero praecevit Cl. Frid. Hoffmannus de Method. med. L. I. c. II. *Verum*, inquit, Cl. Schenckius, et nos cum ipso statuimus, opium non vi peculiariter specifica, sed ex accidenti sudorem prolificere. Nam ligando spiritus animales tonum parium cutanearum solvit, unde pori faciliter diducuntur, laxantur, atque id, quod est in habitu, seri statim expellitur. Sed aliter et rectius rem cognovit, et eruditte, ut solet, demonstravit celeberrimus Filius Fridericus Hoffmannus, in *Diff. de Opiat. nova et mech. oper. rat.* Quod autem quidam afferunt, ab opio sanguinem instar glaciei in corpore congelatum fuisse, illud non sine causa in dubium vocaverit, qui noverit, sanguinem in canibus, et animantibus aliis, opio interemtis, ut ipse fatetur Borrichius l. c. neque in reliquo corpore, neque in ventriculis cordis densiorem solito, sed sero siquidem fluidiorumque deprehendi. Id quod etiam confirmat obs. 57. Cent. IV. Borelli, qua quidam ex nimia laudani opiat quantitate in somnum, quem optarat, incidisse, et flumine sanguinis e vena nuperrime secta brevi periisse dicitur. Ut minus sit dubitandum, quin Iacob. Curacius, qui ex usu opii tale quid evenisse scribit L. II. de sensu et sensibilibus c. 17. ad veterum dogmata, opium in quarto gradu frigidum statuentum, respexerit. Nam aliud vel solus aëstus et ardor corporis, sudorique calidus, nec raro odoratus, qui usum opii consequuntur, antequam cerebrum penitus opprimatur, docere possunt. Quo vero clarius pateat error illorum, qui opio vires corporis figendi et incrassandi at-

tri-

tribuunt, non pigebit adiicere, quae adversus eundem
popularem fere errorem commemoratione digna hi-
storia annotavit Willifus l.c. c. I. Enimvero, inquit, medi-
camenta opia*t*a sanguinem fundere atque interdum Alexite-
riow ritu tum sudores, tum urinas potenter movere, uti ex
crebra observatione compertum babui, ita per historiam se-
quentem (quam coronidis hic loco adiicio) omnibus manife-
stum reddetur. Olim pro Generoso quodam valde cacockmo,
et doloribus nocturnis a lue venerea, male, aut minime cu-
rata, oriundis miserrime divexato, consulebar. Multa praec-
scripti, sed incassum; quia medicamenta plurimum abhor-
rens, fere nihil praeter laudani dosin, semel tantum, aut bis
in hebdomade, pro sedandis doloribus ei concessam, sumere
voluit; brevi hydropticus factus, ab ascite, simulque ab ana-
sarca in tantum intumescebat, ut vix a latere in latus, sine
ministrantium auxilio, se devolvere potuerit. In hoc statu
ad eum denuo accersitus, et praecepsis medicis obstinatum re-
periens, quod supererat, mortis non longe abfuturae, et pro-
 certo expectandae, propterea ut se, et res suas propter aeter-
nitatem componeret, prognosticon dedi. Ille non multum per-
turbatus, obnixe rogabat, ut ev̄ Davatias gratia laudanum
nostrum, parcus ante permisum, ad libitum, aut saltem quo-
que vespero sumeret: hoc cum admonitione quadam conce-
dens, discessi, ac, uti putaram, supremum vale dixi. Postea
pharmacum illud quotidie sumxit ille, et quotidie dosin auxit,
ita, ut brevi tempore quantitatem eius vix credibilem absum-
isset. Phramaco hoc unico constanter usus, indies melius
babuit, ac intra mensis spatium in tantum convalluit, ut tu-
more omni, et doloribus immunis factus, stomacho valeret,
et foras obambularet. Ab assiduo huius opia*t*ae usu, fitis,
antea multum urgens, cessabat; et quaque nocte in sudorema
magnum dissolutus, insuper et urinam copiosam excernebat.

Nec

Nec vero infelici successu ad ciendos fortius sudores in curatione hydropis syrupo papaveris, cum rob de bacc. sambuci et ebuli, spirituque iuniperi mixto, usus est *Platerus Obs. L. III. p. 594.* Ac quantum theriaca in eodem morbo, eodem nomine, si recte adhibeatur, conduceat, ipse *Andromachus* Neronis Imperatoris Medicus versibus heroicis, quibus compositionem illius et vires descripsit, indicavit.

XVIII.

Neque demum est, quod quis vel moram, qua paucum posteaquam assumtum est opium, operari incipit, citoque operationem suam exequitur, vel dosin exiguum, qua nondum unius, aut duorum pondere granorum, tot mirandas in nobis mutationes efficit, obtendat. *Quodsi enim haustus vini generosi, vel frustum panis mero imbutum, hominem, qui inedia prope confectus est, illico toto corpore reficit, imo idem vinum, vel eius spiritus, aliaque tenuium et agilium partium remedia, si solum ore contineantur, vixque ventriculum attingant, hominem recreant, atque a leipothymia revocant, quid obest, quo minus a perspiratione ventriculi quaedam exsoluti opii particulae, vel per vias lacteas intestinorum, vel per poros ventriculi et huius venarum, ipsum in sanguinem subito eluententur. Quippe cum sciamus, illud adeo tenuium esse partium, et substantia ita exhalabili et vaporosa constare, ut solo halitu et odoris effluvio sopiti aliquando conciderint, qui id incautius colligerent, ut supra ex *Plutarcho* est adductum. Adhaec experientia docemur, horae quadrante ab assumta terebinthina lotium, particulis illius imbutum, odore violaceo reddi, et pharmacum nutrici propinatum, vix exacta hora, ex uberibus illius cum la-*

ete

et ad puerum transmitti, alvumque eius expurgare.
Quod vero opium, in exigua quantitate venis sanguine-
que receptum, non solum citissime per omnem humo-
rum massam integris viribus diditur, sed eisdem etiam
ita extenuat et rarefacit, ut inde tam insignes in nobis
mutationes emergant, quae vires eius excedere vide-
antur, neque a pari salis cuiusdam volatilis, et concreti
alius salino-sulphurei quantitate expectari possint: id
utique non tenuitati tantum tribendum est, sed et sin-
gulari partium minimarum, inprimisque salinarum et
sulphurearum arctissime cohaerentium, mixtioni et
temperiei, quae quidem, non secus ac corporum alio-
rum ex partibus insensilibus constitutiones, in deplo-
randa hac sensuum caligine perfecte cognosci nequit.
Neque adeo in rebus medicis ex partium minimarum
et insensibilium textu et dispositione, quae ut ignoratur
haec tenus, sic imposterum quoque ignorabitur, ratioci-
nandum est, sed ex iis, quae experientia et sensibus de
illis patent. Illud vero clare ex qualitatibus sensibili-
bus et effectis constare potest, opium intra corpus re-
ceptum, valde *spumans* esse, et partes eius salino-sulphu-
reas, sanguini permistas, more fermentorum, quae mole
minima magnas pervadere massas, et agitare ingen-
tem liquorum molem solent, per illius massam celeriter
latisimeque fundi, et sese inter illius partes expanden-
do, totam intus humorum molem hoc facilius et efficacius
commovere, efferre et rarefacere, quod illorum
partes variis inter se motibus agitantur, et motu cor-
dis quaquaversum propulsae, ab arteriis maioribus ad
minores et sanguine repletissimas compellantur, et ma-
iorem adeo et se, et vas illa dilatandi pandendique vim
recipient.

XIX.

Eius generis τὸς οὐρῶν cum in aliis, tum praecipue in quarundam aspidum veneno apparet, quod, ut tradunt *Aelianus L. VI. de Animal. c. 38. Zonaras Tom. II. Annal. f. 67. Aetius Tetr. IV. Serm. I. c. 20.* per exiguum morsum, similem puncturis acus, mole minima illatum, celerrime ad interiora penetrat, et gravitatem capitidis, magnamque dormiendo necessitatem, et carum cum molli sudore parit, eoque paucarum spatio horarum enecat; unde aspidem somniferam *Lucanus cognominat L. IX. Phars.* Non latuit hoc Aegypti reginam Cleopatram, quae, ut habet *Galenus de theriaca ad Pif. c. 8.* ne devicto Antonio, ab Augusto in triumphum duceretur, periculo prius in ancillis facto, ipsa deinde aspides duas, non mammis, ut *Aegineta de re med. L. V. c. 18.* refert, sed brachiis admovit, et ab his commorsa periit; quemadmodum id a *Victorio L. IV. Var. lect. c. 22.* annotatum est, et in vetustissimis quoque picturis cernitur. Vnde id genus virus non minus, quam opium, et narcotica alia, acetato et succo acido citri infringitur et debellatur. Id quod quidem *Celsus* demonstrasse dicit casum cuiusdam pueri, qui, cum ab aspide iactus esset, et partim ob ipsum vulnus, partim ob immodicos aestus siti premeretur, ac locis siccis alium humorem non reperiret, acetum, quod secum habebat, ebibit, et liberatus est. *L. V. de re med. c. 27.* Idem exposuit *Plinius Histor. nat. L. XXIII. c. 1.* De mali autem citrii virtute nota est historia latronis Aegyptii, qui ad aspidum supplicium damnatus, contra illarum virulentiam malo illo a caponna quadam praemunitus, inviolatus a supplicio abiit, si audimus *Atbenaeum l. 3. δειπνοσοφια.* Quae si recte perpendamus, de insigni efficacia opii, quam mole perexigua in fangvine vivo exerit, hoc minus dubitabimus, quo notius est,

est, corpuscula, quae vinum, in quo vitrum antimonii, vel crocus metallorum maceratur, adeo emeticum et catharticum reddunt, tantae exilitatis esse, ut magna vini aliorumque liquorum copia iisdem imbui poscit, nulla facta diminutione sensibili corporum, a quibus liquorum vi deteruntur. Ne quid commemorem de moscho, zibetho, et eius generis concretis aliis, quae solo effluvio totum saepe corpus conturbant. Adhaec constat etiam, magnam medicamentorum rarefacentium et sudoriferorum differentiam esse, aliqua minore quantitate ea efficacia pollere, quam alia maiore copia non assequantur.

XX.

Postremo non praetermittendum est, id quod primo loco commemorari debuisset, opium, quod vulgariter adhibetur usu, potius meconium, quam verum opium esse. Quae autem sit differentia inter haec duo, ex veteribus optime *Dioscorides* exponit *de Mat. med. L. IV. c. 65.* vocans meconium succum papaveris, ex contusis capitibus, et frondibus prelo expressum. *Plinus* vero dicit, capita et frondes papaveris coqui, et inde succum densatum nominari meconium. Cui assentitur *Iac. Bonitus*, cum *Animadv. in Garciam ab Orta L. IV. Not. in c. 4.* scribit, Indos pauperes ex foliis et stolonibus papaveris opii speciem vilorem excoquere, et soli indurandam exponere, ac *pouſt* appellare. At quounque modo fiat, certum est, impurius idem, et opio multum ignavius esse. Hoc vero *ὄνιον* Graecis, et *Օսիւմ*, itemque *Affion* et *Ampbion* Arabibus et Indis vocatur, et secundum *Dioscoridem* hoc modo paratur: Cum ros exaruit, stellula, quae in summo papaveris capite visitur, cultello ita scarificatur, ut ne penitus intro adigatur: deinde ex superficie capitis decussatim incisa extillans et resudans lachryma lactea digito in concham abstergitur: idque saepius, parvo interiecto spatio,

F 2

propter

propter humorem, qui statim congelatus reperitur, hoc eodem posteriore die repetitur; ac demum collectus ita succus omnis successiva coloris mutatione concrevit, qui deinde tusus, atque in pastillos coactus, verum opium constituit. Neque vero aliud esse Turcarum *Maslack*, multi hodie sibi persuaferunt.

COROLLARIA.

I.

SAlia volatilia cornu cervi, salis Ammoniaci, et similia, somnifera esse, non minus ratio, quam usus comprobat.

II.

Piscantur in aere, qui sulphur narcoticum in vitriolo quaerunt.

III.

Sulphur etiam opii narcoticum, subiens ductus cerebri et nervorum, eosque obstruens, vel his contentum spiritum ligans et figens, nusquam exsilit, cum eoque paria facit spiritus ipse animalis, qui illo sulphure ligatus vincitque fingitur.

IV.

Merito opiate inter confortantia atque aphrodisiaca numerantur.

V.

Spiritu vini extractam partem opii resinosa, diaphoreticam et somniferam esse, satis plerorumque laudana, et tinturae anodynæ, quae isto liquore parantur, et quotidie feliciter adhibentur, docent.

VI.

Si causa apoplexiae in fibris cerebri et nervorum consistit, et vel ab obstructione atque infarctu earundem a materia serosa, aut sulphure narcoticō, vel a spiritibus, in iisdem ligatis et quasi vinculis detentis, aut veluti frigore et ignavia torpentibus, pendet, frustra in eius curatione venae fœtio adhibetur, quam tamen constat optimum illius mali remedium esse.




Wittenberg, Diss., 1702 S-2-
1703



f

v218

1012



22

Q. B. V.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO
DN. FRIDERICO AVGVSTO
ELECT. SAX. HEREDE
DISSERTATIONEM SOLENNEM
1703
DE
**VI OPII
RAREFACIENTE,**
A qua, ostenditur, omnia illius effecta
in homine proficiunt,
PRAESIDIO
D. IO. GOTHOFREDI BERGERI
POTENTISS. POLON. REGIS ET ELECTORIS SAX. ARCHIA-
TRI, COLLEG. MEDICI SENIORIS ET PROF. PRIMARII
PRO LICENTIA
ADSPIRANDI AD SUMMOS IN ARTE
SALVTARI HONORES
P. P.
CHRISTOPHORVS FIMMLERVVS
SCHMIEDEBERGA-SILESIUS
A.D. X. IVL. cI*o* I*o* cc III.
IN AVDITORIO MAIORI
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS.
—
VITEMBERGAE, Prelo GERDESIANO.